

1818

# FRIDERICI GUILIELMI III

SERENISSIMI, POTENTISSIMI CLEMENTISSIMIQUE  
BORUSSORUM REGIS

## SACRA NATALITIA

A GYMNASIO REGIO BREGENSI

a. d. III. Non. Aug. c1o1occcxviii. hor. IX. a. m.

SOLEMNITER CELEBRANDA

indicit

FRIDERICUS SCHMIEDER,

Philos. D. Gymn. Reg. Rector et Prof.



---


BREGAE

Typis Caroli Theoph. Wohlfahrt.

BR 1 E  
2

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT



Quamquam libelli, quibus Gymnasiorum sollemnia indicuntur, tristibus solent fati interire, morem tamen eorum scribendorum tantum abest, ut reprehendam, ut recte etiam a majoribus institutum minimeque negligendum putem. Magistris enim nunc de scholarum publicarum ratione et fati, cum opus esse videtur, disserendi, nunc curae sibi mandatae rationem reddendi et consilia sua de rebus omnino omnibus, quibus salus juventutis sive adfligi sive confirmari posse videtur, cum parentibus discipulorum communicandi locum praebent gratum acceptumque. Hujusmodi libellos sermone patrio scribendos censeo, eoque, ut, quibus lectoribus scripti sint, probentur, plano perspicuoque, non novo isto atque insolente, quem ut eos decere facile concedimus, quibus est verus et nativus, ita displicere videmus imitatione extortum. Saepius data scribendi occasione, quam fieri non possit, quin argumenta ex eodem rerum orbe repetita taedium afferant lectoribus, ejus disciplinae, quam docent amante magistri, particulam solent promere describendam, explicandam. Sunt, quibus eximia rerum olim gestarum scientia materiam praebeat; sunt, qui locos scriptorum antiquorum enodent quasi speciminis loco; quamquam

ex

ex scriptis commentariis vix recte de arte, viva voce docendi, judicari potest, quam cognoscere quorum interest, intrent in auditoria, videant, audiant; mihi quum opellam meam qualemcunque in Romanorum mores describendos et instituta quaedam explicanda conferre placeret, nec otii satis nec plagularum harum angustias commodas fore, ut de rebus singulis ordine justo uberius et fusius disputarem, facile intellexi. Quare ex uno dumtaxat atque altero eorum scriptorum, qui juvenibus non explicantur, delecta atque rerum explanatione instructa offerre concedatur.

Populum romanum, quum Caesares imperii summas tenerent, duas tantum res anxium optasse, panem et Circenses, imperatoresque summa id cura egisse, ut populum ludis muneribusque cujuscunque generis oblectarent, quis est qui nesciat? De quibus quum Martialis, qui primo post Ch. n. saeculo, gente Flavia imperante, florebat, saepe mentionem faciat, epigrammatum ejus libris excussis, prima recensebo ea, quae de spectaculis scripsit suo saeculo exhibitis; rogato lectore aequo, ut si quid forte neglexero ex eo poeta proponendum, subiti mihi consilii excusationem admittere velit.

Nemini facile damnanda videbuntur spectacula ferarum sive inter se pugnantium sive multa arte ita condocefactarum, ut numquam visa praeter naturam suam facientes in admirationem sui spectatores raperent. Recentiores etiam Romani admirabantur taurorum saevitiam, sed quantilla pars haec fuit spectaculorum antiquitatis! Rhinocerotes pugnant in arena atque elephantum; leones modo lacerabant tauros pantherasque, modo ipsi cadebant forti venatorum manu interemti; jugo submissae tigrides vehebant currus. Nec solam molem ferociam atque immanitatem bestiarum, etiam multitudinem stupebat populus; uno Titus die quinque milia omne genus ferarum dederat ex toto terrarum orbe conquisitarum.

Rhinocerotis pugnam ter Martialis commemorat, libro de spect. 11. 24, et Apoph. 51. Domitiano imperante belluam ejus generis saecularibus ludis

ludis omnium plausum tulisse, ex pluribus etiam nummis, in quibus ejus ferae imago quamquam parum diligenter facta cernitur, colligere licet. Vid. Spanh. de U. et Pr. Numism. T. 1. p. 189. Rhinocerotata asiaticum, qui unum habet cornu, saepe viderant Romani, Plin. H. N. l. 8, c. 20. Strabo l. 16. §. 15; africanum eos, bicornem, non ignorasse ex Paus. l. 9. c. 21. §. 2. videmus, qui ei dixit esse ἐπ' ἀρχῇ τῆ ῥινὶ ἐν κέρας καὶ ἄλλο ὑπὲρ αὐτὸ οὐ μέγα, quod verissimum. Tabulae etiam antiquae bicornis imaginem exhibere dicuntur. Hujus, ni fallor, speciei bellua Romanis hoc praebuit spectaculum, ut prius taurum, tum ursum ira furens in auras jactaret.

Lib. de Spect. 11.

Praestitit exhibitus tota tibi, Caesar, arena,  
Quae non promisit, praelia rhinoceros.  
O quam terribileis exarsit pronus in iras!

Quantus erat cornu, cui pila taurus erat!

Rhinoceros, in Titi amphitheatro exhibitus, per totam arenam furens, *praelia*, pugnam praestitit, quam *non promisit*, praeter spem, diu frustra a magistris sollicitatus. Lentus enim est ad praelia, terribilis vero, ut semel exarsit, veste rubra verberibusque in furorem actus. Tum *pronus* homines taurosque medios cornu rapit atque in auras jactat, ut casu vehementi pereant. (Scaliger ex conj. legit: *quae non promisti* h. e. praelia majora, quam tu, Caesar, promiseras, quum rhinocerotata cum tauro commissum iri ediceres.) Quantum valebat cornu, quantum erat ferae robur, cui vel taurus erat pro *pila*. Pilis enim, plerumque in effigiem humanam foeno stramentove formatis purpureaque veste indutis tauri incitabantur, et flammis, feminibus alvoque admotis. Licet hoc carmine *cornu*, ἐρινῶς dicatur, quia hoc animal majore potissimum cornu, quod inferius in naso est, pugnat, africanum tamen fuisse idque bicornem dubitare non patitur epigr. 24 ejusdem argumenti, nisi quod pro tauro ursus

est;

est; in cuius v. 5 poeta: *namque gravem, inquit, gemino cornu sic exiulit ursum* etc. Sic enim Codd. legunt et edd. antiq., ursosque reperiri ingentis et molis et ponderis satis constat. Sed etiamsi, rectius fortasse, cum Jan. Dousa *urum* legeris, nihil tamen agunt interpretes, *urum cornu gemino gravem* h. e. infestum jungentes. Ponderosum urum a rhinocerote sic potuisse jactari poeta miratur, ut pilae solent a tauris; in pondere vero cornua nullum fere momentum faciunt.

Simile sed minus mirandum spectaculum praebuit  
taurus ab elephante occisus, de Spect. 21.

Qui modo per totam, flammis stimulatus, arenam  
Sustulerat raptas taurus in astra pilas,  
Occubuit tandem cornuto ardore petitus,  
Dum facilem tolli sic elephanta putat.

*Cornuto ardore petitus*, elephantis irati dentibus confossus. Ardor cornutus, ira cornibus armata, non intelligeretur de elephante, nisi ejus mentio v. 4 subjecta esset. Cornu indicum pro ebore dixit Mart. Epigr. 1, 73. Fuerunt olim, qui dubitarent, utrum cornua an dentes elephantis esse dicerent; sed Plin. l. 8. c. 5. sect. 4: praedam ipsi (elephanti) in se expetendam sciunt solam esse in armis suis, quae Juba *cornua* appellat, Herodotus tanto antiquior et consuetudo melius *dentes*. — Occasione ab eodem elephante oblata utitur poeta pro ejus saeculi infelicitate, ut Domitianum aduletur.

de Sp. 19.

Quod pius et supplex elephas te, Caesar, adorat,  
Hic, modo qui tauro tam metuendus erat:  
Non facit hoc jussus nulloque docente magistro;  
Crede mihi, *nostrum* sentit et ille *deum*.

*Non facit hoc* h. e. facit hoc non jussus. Elephantes ut genua flectant regesque adorent, facile doceri hodie satis constat. Mirare potius hominis

nis arrogantiam; Domitianus enim, „quam procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic coepit: dominus et *deus noster* hoc fieri jubet. Unde institutum posthac, ut ne scripto quidem ac sermone cujusquam appellaretur aliter.“ Suet. Dom. 13.

Aliarum ferarum modo, quae ferocia excelleret, inter se commissas esse, modo imbelles, quae pugnae miraculo spectatores tenerent, modo impares in arenam missas, quae ludentes jucundam populo hilaritatem afferrent, ex eodem videmus poeta. Novam rem, a tigride mansueta leonem ferum miratur laceratum, ac si plus feritatis illa acceperit inter homines.

de Sp. 20.

Lambere securi dextram consueta magistri  
Tigris, ab Hyrcano gloria rara jugo,  
Saeva ferum rabido laceravit dente leonem:  
Res nova, non ullis cognita temporibus.  
Ausa est tale nihil, silvis dum vixit in altis;  
Postquam inter nos est, plus feritatis habet.

*Tigris, gloria rara*, rarae magnitudinis ab jugo hyrcano, ob tigridum feritatem celebrato, (hyrcanas tigres vide in Virg. Aen. 4, 367.) ita cicur, ut manum magistri lamberet vino fortasse perfusam, (Mart. Apoph. 105.) feritatem tantum submiserat, non exuerat; in arena enim ad ingenium reversa leonem eumque ferum laceravit, quod nemo unquam vidit et audivit. Inter nos Romanos saevos saevissimorum ludorum spectatores (quis non recordatur gladiatorum?) plus feritatis accepit. Anxii quidam de Martialis salute *feritatem* de animo et fortitudine interpretantur; sed nos sero verbi offensam interpretatione leniremus. Quos ferarum magistros appellant, eos Seneca etiam domitores, custodes, dicit in fine Epist. 85: „Certi sunt domitores ferarum, qui saevissima animalia et ad occursum expavescentia, hominum cogunt sub jugum,  
nec

nec asperitatem excussisse contenti usque in contubernium mitigant. Leonibus magister manum insertat; osculatur tigrim suus custos; elephantem minimus Aethiops jubet subsidere in genua et ambulare per funem." Utrum vera tigris an alia bestia ex felium immanium genere intelligenda sit, post Buffonem vix licet dubitare. Tigris orientalis, nigris per totum corpus taeniis virgata, veteribus non ignorabatur. Distinxit eam Arrianus (Hist. Ind. c. 15. in excerptis ex Nearchi paraplo,) a bestiis maculosis. Seneca in Hippol. 343 dixit: *tunc virgatas India tigres decolor horret.* Silius 5, 148: *Caucasiam - - virgato corpore tigrim,* ubi vide, quos Ruperti V. Cl. laudat. Interpretes vero omnes si *virgatus* dictum putant pro *variegatus*, *maculosus*, *longis macularum ductibus lineatus*, vim faciunt verbo; nihil est nisi quod Graecis *ραβδωτός*, lineis pictus et distinctus. Oppianus lib. 1. orynges, equi speciem describens, *ῥῶτα*, inquit, *γεγάφαται δολιχῆσιν ἐπήγριμα ταμίησι, Τίγρεις οἷα θοαί,* in tergis picti sunt longis deinceps taeniis, sicut tigres veloces. (Distinxit vero orynges ab asinis silvestribus, *Zebra*, quorum mentionem fecit libro III et praeter alios etiam Philostorgius l. III.) Has vero tigres indicas sciebant veteres corporis amplitudine vel leones superare atque interdum ad mansuetudinem domitas esse in regum indicorum potestate. Easdem diligenter ab africanis distinguunt, Indicas et Hyrcanas appellantes; atque nostris temporibus multi multas in India et *Gmelin* in ipsis regionibus viderunt, quae veteribus Hyrcania dicebantur. Quare licet veteres interdum maculis pictas bestias tigridis nomine appellarint, causae tamen non satis video, cur in Mart. veram tigrim intelligere nolimus. Augustus eam primus omnium, (ab Indorum legatis acceptam) Romae ostenderat in cavea, mansuefactam; Claudius simul quatuor, quod Plinio H. N. 8, 17 extr. memoratu dignum videbatur, postquam primum Scaurum aedilitate sua varias africanas, (pardos, pantheras aliasque) centum quinquaginta universas, dein Pompejum quadringentas decem et Augustum



stum quadringentas viginti Romam advexisse narravit. Quas deinde Domitians ex bello Sarmatico redux tigrides ostenderat, qui potuisset Martialis, nisi verae fuissent, his verbis admirari?

Lib. VIII. epigr. 26:

Non tot in eois tenuit gangeticus arvis  
 Raptor, in hyrcano qui fugit albus equo,  
 Quot tua Roma novas vidit, Germanice, tigres;  
 Delicias potuit nec numerare suas.  
 Vincit erythraeos tua, Caesar, arena triumphos  
 Et victoris opes divitiasque dei.  
 Nam cum captivos ageret sub curribus Indos,  
 Contentus gemina tigride Bacchus erat.

Cumulantur epitheta orientem designantia, ne quis de patria bestiarum dubitet, earumque *novarum* h. e. numquam visarum, novi tum generis. Vel enim nescivit Martialis, jam Augustum et Claudium tigrides ostendisse, vel dissimulavit, quo magis Domitianum laudaret. Quae Plinius alique et de venatoribus narrant, raptis absente matre tigridum catulis celerrimo equo fugientibus, et de maxima matrum, dum raptorem sequuntur, pernicitate et saevitia, ea saepius etiam poetae tetigerunt ex c. Martial. h. l. et 3, 44. Val. Flacc. 1, 489 seqq. atque Icaenam pro tigride scribentes Hor. Carm. 3, 20 et Ovid. 15, 547. Venator Indus, qui in regionibus orienti subjectis tigridis rapuit catulos et *albus*, *χλωρός*, metu pallidus fugit equo *hyrcano*, celerrimo, ad eam venationem exercito, non timuit tigrides plures, quam Roma, te, Caesar, praebente, vidit; *delicias suas*, has ipsas feras summa cum voluptate spectatas non potuit numerare. Vincit arena tua triumphos *erythraeos*, Bacchi de India subacta, cujus currus triumphalis, ut saepe memorant poetae, duabus tantum tigribus junctus erat; vincit vel dei victoris opes divitiasque. (Pro *divitiasque*, ne opes et divitiae per tautologiam jungantur, de Rooy emendat

dat *deliciasque*, ut Bacchi *deliciae* *deliciis* Caesaris postponantur.) *sub curribus*, quum ipse ex alto curru despiceret in vinctos captivos eum praecedentes. (Nec Heinsii conjectura *sibi* sive *trux curribus* nec alia ulla opus est.) Domitianum de Cattis triumphasse atque ex Germanis tamquam a se devictis cognomen adsumere non erubuisse, satis constat. Vide Epigr. lib. 2, 2. Tacit. Agric. c. 39. Suet. Dom. c. 13: „Germanici cognomine adsumto Septembrem mensem et Octobrem ex appellationibus suis Germanicum Domitianumque transnominavit, quod altero suscepisset imperium, altero natus esset.“

Ex imbellium ferarum genere Martiali commemorantur *damae* inter se pugnantes, quarum nomen quamvis ad cervorum genus non pertinere satis certum sit, (Virg. Georg. 3, 539: *timidi damae cervique fugaces*. Mart. Xen. 91. *dente timentur apri, defendunt cornua tauros; imbelles damae quid nisi praeda sumus?*) de diversis tamen caprarum silvestrium speciebus passim usurpatum videtur. Quam Plinius *damam* appellat, hodie viri rerum naturalium scientia insignes consentiunt esse *le nanguour*. Africam habet patriam, capreolo simillima, cornibus brevibus atque in adversum aduncis, timida pedibusque salutem mandare coacta. Captam facile condocerant vel ad pugnam.

l. IV. epigr. 34.

Frontibus adversis molles concurrere damas  
 Vidimus et fati sorte jacere pari.  
 Spectavere canes praedam stupuitque superbus  
 Venator, cultro nil superesse suo.  
 Unde leves animi tanto caluere furore?  
 Sic pugnant tauri, sic cecidere viri.

*Damae molles*, imbelles, immissos canes, qui spectaculum venationis in amphitheatro praebent, negligentes, ipsae frontibus adversis concurrant et *pari sorte fati*, eadem morte mutuis vulneribus corruerant in-  
 terem-

terentiae. Canes, nati damarum hostes, miraculo attoniti spectabant, non persequerentur. Venator *superbus*, multarum caede ferarum superbiens (Diana *caede superba ferarum*. Ovid. *Metam.* 2, 442.) stupet, quod cultro venatorio, quo bestiae cominus interficiebantur, in neutra opus esse videt. Unde *leves animi*, ad fugam prae, tanto exarsere furore? — Magistrorum cura factum esse, ut et damae inter se pugnam inirent et canes illas pugnantes non impedirent, non dubitandum est. Poeta vero hoc dissimulans timidarum ferarum naturam domini deique (Domitiano blanditur) praesentia mutatam innuit, ut sicut tauri pugnarent, sicut gladiatores caderent. Idem propemodum est argumentum epigrammatis 74 libri ejusdem. Iterum etiam blanditur Martialis Caesaris majestati tanquam divinae, quum dama alia, canes effugere nescia, ante ejus pedes roganti similis consisteret, canes a persequenda desisterent, in libro de Spect. 35:

Concita veloces fugeret cum dama molossos

Et varia obliquas necleret arte moras,

h. e. cum obliquo identidem cursu canes falleret et fugeret,

Caesaris ante pedes supplex similisque roganti

Constitit et praedam non tetigere canes.

Etiam imparium ferarum in arenam missarum exemplum commemorandum est. Maxime miratur Martialis spectaculum leonis cum lepore ludentis eumque modo capientis, modo illaesum dimittentis. Leones scimus captos summam cum animalibus parvis (v. c. caniculis) familiaritatem contrahere, ut adeo morti eorum superstites esse nolint. Exemplum arietis et leonis in una cavea stabulantium vide etiam in Mart. Epigr. 9, 71. Familiaritatem ejusmodi sive exstitisse tum credas inter leonem et leporem natura timidissimum, sive ita fuisse leonem condoceratum, ut cum lepore ludens, sic ut feles solent cum muribus, eum non laederet, quo natura magnus leonis animus inclinatur. Quod spectaculum elegantibus hendecasyllabis laudatur

Epigr.

## Epigr. lib. 1, 105:

Picto quod juga delicata collo  
 Pardus sustinet, improbaeque tigres  
 Indulgent patientiam flagello;  
 Mordent aurea quod lupata cervi;  
 Quod freno libyci domantur ursi,  
 Et quantum Calydon tulisse fertur,  
 Paret purpureis aper capistris;  
 Turpes esseda quod trahunt bisontes,  
 Et molles dare jussa quod choreas  
 Nigro bellua non negat magistro;  
 Quis spectacula non putet deorum?  
 Haec transit tamen, ut minora, quisquis  
 Venatus humiles videt leonum,  
 Quos velox leporum timor fatigat.  
 Dimittunt, repetunt amantque captos,  
 Et securior est in ore praeda,  
 Laxos cui dare perviosque rictus  
 Gaudent et timidos tenere dentes;  
 Mollem frangere dum pudet rapinam,  
 Stratis cum modo venerint juvencis.  
 Haec clementia non paratur arte,  
 Sed norunt, cui serviant, leones.

Per comparationem reliquarum bestiarum condoceratarum docetur  
 nihil mirabilius esse quam lusus leonum cum leporibus. Quod pardus  
*τιθασσός* *picto collo*, variis maculis ornatus collo *sustinet*, ferre non recusat  
*juga delicata*, elegantissima, auro purpuraque ornata; (Heinsius ex con-  
 jectura *deligata*, quod non praefero;) quod tigres *improbae*, ferocissimae,  
 quae vel domitae custodius timendae sunt, *indulgent patientiam*, faciles et  
 luben-

Iubentes se praebent *flagello*, flagellari se patiuntur ab auriga; quod cervi *mordent*, pati coguntur *lupata* sc. frena, aculeis ferreis horrentia; *aurea* sunt in amphitheatro; quod frenantur *ursi libyci*, nempe veri ursi, (non leones, ut quidam opinati sunt,) sive africanos sive soli proprios Numidiae intelligas; nam qui Africam ursos non habuisse crediderunt, frequentibus veterum testimoniis refelluntur; cf. Salmas. in Plin. Exercitat. p. 220. Rader: ad h. l. et Heyne ad Virg. Aen. 5, 37. — quod aper vel maximus, qualem Calydonium ab Atalanta et Meleagro occisum describunt, regitur capistris purpureis, elegantissimis; quod *bisontes foedi*, taurorum species jubatorum, *essedae*, currus britannicos trahunt per arenam; bisontes descripsit Calpurn. Ecl. 7, 60 seqq. — quod *bellua κατ' ἐξοχήν*, elephanta, *dare*, exhibere in arena iussus *choreas molles*, saltationes multa ejus agilitate insignes (Hor. Serm. 1, 9, 24: *quis membra movere, saltare mollius* possit i. e. mobilius, minus rigide;) *non negat* sc. obsequium (vulgo legitur *nil negat* h. e. omnia discit et exhibet; sed alterum praetuli cum Gronov. in Elencho Antidiatribes pag. 138.) *nigro magistro*, Aethiopi, quis non putet spectaculum divinum? funambulos elephantes commemorant praeter Senecam et alii, vid. Hard. ad Plin. H. N. 8, 2. — Sed haec negligit, qui leonum *venatus humiles*, dejectos a pristina audacia atque ad humiles ignobilesque lepores redactos spectat, qui eos, prae timore velociter currentes, fatigant. (De voce *humilis* cf. Cort. ad Plin. Epist. 1, 5, 1.) *Dimittunt* faucibus captos; *repeunt* fugientes *amantque*, non laedunt. *Pervii* dicuntur rictus, qui captos exire patiuntur; *timidis* dentibus tenent caventes, ne laedant, *mollis rapina* eadem est quae epigr. 52 *temis praeda*. Hanc clementiam leones non didicere magistrorum arte, sed norunt se Caesari divo elementissimoque servire, qui etiam feris jubet ingenium esse mitius; Caesaris numen sentiant ejusque sola praesentia mitigantur, ut fere aliis locis poeta loquitur.

Hoc miraculum sex aliis etiam epigrammatis (lib. 1, 7. 15. 25. 49. 52. 61.) celebravit, venuste quidem, ut copia poetae sit laudanda, at saepius tamen quam fortasse placet. Et vero displicuerat Aruntio Stellae, Patavino, divitiis vel inter Romanos insigni, poetae laudato, Martialis familiari; de quo vid. Wernsdorf in Poet. lat. min. T. III. p. XXVII. de poet. lat. elegiac. Quare Martialis

Lib. 1. epigr. 45:

Lascivos leporum cursus lususque leonum  
 Quod major nobis charta minorque gerit,  
 Et bis idem facimus, nimium si, Stella, videtur  
 Hoc tibi: bis leporem tu quoque pone mihi.

Ut Horatium singulis sermonibus (*chartas* vocat) emissis celebritatem esse nactum constat, antequam priores decem recognitos in librum justum colligeret, ita Martialis etiam ante librum primum Epigrammatum, quae nos legimus, minoribus libellis pluribus inclaruerat, qui praeter eum *de spectaculis* perierunt. Sed et hic viris doctis supposititius videtur, saltem interpolatus. Alius liber fortasse inscriptus fuit *apinae tricaeque* h. e. nugae merae, si conjectura valet ex libro Epigr. 1, 114, 2 et Apoph. 1, v. 7. De his brevioribus libellis et maxime eo de spectaculis solent cum Radero *chartam minorem* intelligere, et *majorem* de libro Epigrammatum primo. Sed quum poetae, priusquam carmina in librum collecta publici juris facerent, cum amicis singula communicare soleant, nescio an rectius Martialem credas Stellae et majorem aliquam chartam cum pluribus, et minorem cum paucioribus epigrammatis misisse legendam, utramque deinde (et alias fortasse) in unum librum redigisse, addito hoc ad Stellam epigrammate. Stellae vero in utraque leonum lusus commemoratos miranti suadet, ut bis posito lepore poetam ulciscatur. Nam et lauta erat Stellae coena (lib. XI, 53, v. 15.) et lepus

pus nostro in deliciis. *Inter aves turdus, si quid me iudice certum est, Inter quadrupedes gloria prima lepus.* Xen. 89.

Sed reliqua reponantur. Causae enim non immemor, quae huic scripto locum dedit, Gymnasii nostri et juventutis bonarum artium studiosae Fautores, qua debeo observantia, invito, velint juvenum nostrorum pio magis animo quam viribus audacium orationes, quibus Regis nostri Clementissimi natales a. d. III. Non. Aug. h. l. q. c. celebraturi sunt, audientia sua dignari.

Das Geburtsfest Sr. Majestät unsers Königs wird von dem Königl. Gymnasio Montags den 3ten Aug. früh um 9 Uhr im Examenssaale durch einen Redeactus der ersten Classe in folgender Ordnung gefeiert werden:

Musik und Gesang.

*Ed. Mattersdorf* aus Brieg spricht über Vaterlandsliebe und Gemeingeist und erinnert dabei an die mit allgemeiner Dankbarkeit erkann- ten Wohlthaten unsers Königs.

*J. W. L. Lotheisen* aus Brieg trägt den Traum des Cyrus vor, gedichtet von Wieland.

*F. W. Assig* aus Mollwitz redet über den Werth einer Volkstracht.

Gesang.

*C. G. Fuchs*, aus der Gegend von Nimptsch, rühmt die Verdienste Friedrich Wilhelms, des grossen Churfürsten.

*J. Winning*, aus Blodnitz bei Kosel, trägt Schubarts Gedicht: Friedrich der Einzige, vor.

*C. G. F. Koch* aus Brieg spricht über den Ruhm;

worauf ich die Wünsche des Gymnasii für das Wohl unsers verehrten Königs aussprechen werde. Ein Gesang wird unsre Feierlichkeit beschliessen.

Die Gönner und Freunde des Königl. Gymnasii aber lade ich hierdurch ehrerbietig ein, das Fest desselben durch ihre Gegenwart zu erhöhen. Brieg den 2ten August 1818.

D. Fr. Schmieder.

---



Das Geburtsfest  
Gymnasio Montags  
einen Redeactus de

Musik

*Ed. Mattersdorf*  
geist und erin  
ten Wohlthate

*J. W. L. Lotheisen*  
von Wieland.

*F. W. Assig* aus M

Gesang.

*C. G. Fuchs*, aus  
Friedrich Will

*J. Winning*, aus  
der Einzige,

*C. G. F. Koch* aus

worauf ich die V  
Königs ausspreche  
schliesen.

Die Gönner u  
durch ehrerbietig  
höhen. Brieg der



© The Tiffen Company, 2007  
**TIFFEN** Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



rd von dem Königl.  
Examensaale durch  
ang gefeiert werden:

sliebe und Gemein-  
Dankbarkeit erkann-

Cyrus vor, gedichtet

iner Volkstracht.

ühmt die Verdienste

s Gedicht: Friedrich

wohl unsers verehrten  
sre Feierlichkeit be-

aber lade ich hier-  
re Gegenwart zu er-

Schmieder.